

3<sup>o</sup> Nec sunt obligandi ad restitutionem illi poenitentes, qui lucrum acceperunt iuxta legem cum mala fide, idest, putantes se tale lucrum percipere non posse; quia ex eo quod peccaverint agendo contra conscientiam, non sequitur, eos fuisse iniustitiae reos.

4<sup>o</sup> Poenitentes, ex clausula in plerisque responsis *S. Congregationis* adiecta, semper parati esse debent iudicio *S. Sedis* se submittere; sed non sunt necessario interrogandi a Confessario de tali dispositione; 1<sup>o</sup> quia hoc non exigitur in praefatis responsis; 2<sup>o</sup> quia Confessarius praesumere debet, poenitentem, utpote bonum Catholicum, in tali dispositione versari nisi de contrario constet. Ita Bouvier, *ibid.* Imo, ait Kenrich, hanc conditionem *S. Sedes* iam consuevit omittere, et addit (t. 1. *de Usura*, n. 101.): *Quotiescumque conscientia peccati hac in re quis non tenetur, nec male audit apud alios, nec aliquis de iniustitia sibi facta queri noscitur, non videtur inquietandus, cum bona fide et communi agendi et sentiendi ratione possit excusari, et alioquin via speretur fructus ex correptione; nec enim Confessario mores invalescentes reprobanti facile assentiatur.*

876. — 5<sup>o</sup> Non est damnandum de iniustitia lucrum perceptum ex pecunia mutuata etiam pauperi, qui gravem necessitatem non patitur, quique non temere sperat, se ope istius pecuniae adeo divitem evasurum ut sortem cum moderato auctario facile restituere possit. Nam praeceptum mutuandi gratuito tunc non urget, et pecunia etiam tunc utilitatem et suum pretium retinet.

6<sup>o</sup> Si nihil lucri debeat percipi ex pecunia pauperi ad sustentationem mutuata, hoc fit, non quia pecunia tunc pretium suum amittit, sed quia mutuans vi praecepti charitatis tenetur velle pecuniam a se mutuatam applicari ad solam pauperis sustentationem.

7<sup>o</sup> Lucrum excedens taxam legis civilis est illicitum et iniustum, proindeque restitutioni obnoxium. Excipe, nisi ratio maioris damni emergentis vel lucri cessantis aliud suadeat, vel etiam notabile commodum mutuatarum ex mutuo sequatur (34). — *Ita communiter recentiores Theologi.*

877. — 8<sup>o</sup> A fortiori duplum exigi nequit lucrum propter alium praeter legis civilis titulum; v. gr. si lucrum ex mutuo cessans sit tibi pro quinque, decem exigere non potes ob accedentem legis titulum; quia iuxta omnes, saltem quando lucrum cessans vel damnum emergens non

(34) Postrema haec ratio cuiusvis forte minus firma videbitur. Quod enim ex accepta pecunia vel quavis alia re aut mutuatarum aut emptor commodum plus minusve notabile consequatur, hoc non debetur mutuanti aut venditori. Secus etiam emptor aut mutuatarum ex notabili commodum, quod mutuans aut venditor ex pretio consequatur, ius habebit quidpiam pro se exigendi, et lucrandi.

excedit taxam legalem, nihil praeter hanc accipi potest, cum hoc evidenter fini et intentioni legis adversetur.

9<sup>o</sup> Pariter qui mutuo accipit pecuniam iuxta taxam legis, non ideo eandem pecuniam alteri remutuando exigere decem potest; quia deficit titulus ad quinque superflua accipienda. Plures tamen permittunt numulariis (*banquiers*), qui ex statu suo mutuum frequenter accipiunt, ut remutuare valeant aliquid ultra taxam legis, v. gr. 1 pro 100 ratione laboris, temporis, impensarum, etc.: unde iuxta illos possent accipere 7 pro 100; considerantur enim ut mercatores, et ut tales iam 6 pro 100 accipere possunt. Ipsi saltem favet multorum locorum consuetudo. Item non videtur contra legem civilem aut naturalem *per se*, quod quis mutuo accipiat pecuniam pro 3 vel 4, et eandem remuet pro 5 in 100.

10<sup>o</sup> Nihil prorsus exigi potest a pauperibus ex necessitate mutuum petentibus, non obstante legis civilis titulo; et proinde, si quid lucri perceptum fuerit, restituendum est (35), quippe lex civilis, quae iuris naturalis obligationem perimere nequit, hunc casum comprehendere non censetur, atque adeo nec dominium lucri in mutuatarum transferre. — *V. Casus*, n. 890. et seq.

## DECRETA

S. CONGR. S. OFFICII, DIE 31 AUG. 1830, A S. P. PIO VIII

APPROBATA SUPER SEQUENTIBUS DUBIIS.

878. — 1<sup>o</sup> *Utrum Confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis?*

2<sup>o</sup> *Utrum debeat?*

*Resp. ad utrumque.* Non esse inquietandos quousque *S. Sedes* definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere; adeoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae.

Plures alias eiusmodi decisiones sive *S. Poenit.* sive *S. Officii* praetermittimus, tum quia satis notae sunt, tum quia eandem omnino doctrinam referunt (36).

(35) Restituendum est ex charitatis officio, non vero ex iustitiae debito. In casu enim renunciare lucro ex sola charitate debeo.

(36) Praestat tamen haec subiicere ali-quod Postulatum, in quo nulla quaestio est de titulo legis civilis. Sic itaque Postu-

latum Episcopi Rhedonensis: *Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit S. Congregationi Inquisitionis, non eandem esse Confessariorum suae diocesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.*

## APPENDICULA

## DE MONTIBUS PIETATIS

879. — *Mons. Pietatis* vocatur pecuniae aliarumve rerum mutuabilium cumulus ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, quae sibi sunt necessaria, ex eo accipere mutuo possint.

De sensu epistolae encyclicae Vix pervenit acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem aut contrariam. Inde querelae, dissensiones, denegatio Sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhaerentibus, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli Confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo detertere conantur. Si poenitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et obiciat, sententiam tali mutuo faventem multos

habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede non semel ea de re consulta; tunc isti Confessarii exigunt, ut poenitens promittat, se filiali obedientia obtemperaturum iudicio Summi Pontificis, si intercedat qualecumque sit: nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si poenitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide; isti Confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse aut etiam nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne poenitens admonitus restituere aut a tali lucro abstinere recuset.

Inquirunt ergo dictus Episcopus Rhedonensis.

I. Utrum possit horum posteriorum Confessarium agendi rationem probare.

II. Utrum alios Confessarios rigidiores, ipsum adeuntes consulendi cau-

sa, possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quaestione iudicium ferat.

Feria IV, die 18. Aug. 1830.

SS. D. N. Eius divina providentia Papa VIII, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Emm. DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium respondit:

Ad I. — Non esse inquietandos.

Ad II. — Provisum in primo.

Id Ipsum cernere est in dubiis, quae S. Poenitentiariae quarto loco proponit

Episcopus Veronensis, in haec nimirum verba:

I. An possit eorum Confessarium agendi ratio probari, qui dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, poenitentes, eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti obicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt ta-

I. Eius conditiones hae sunt: 1<sup>o</sup> quidquid ex eo mutuo datur, ad certum tempus, v. gr. ad annum dari debet, nihil vero ad tempus indeterminatum; 2<sup>o</sup> pauperibus tantum ex Monte Pietatis mutuum dare licet, nisi adeo abundans sit, ut sine pauperum damno aliis etiam sa-

men obedire iudicio Summi Pontificis, si intercedat: et similiter agunt, quando poenitentes, lucrum percipientes in bona fide, de eo non consentunt, licet aliunde noverint, ipsos percipere lucrum, ut supra, nulla ea de re facta interrogatione, quando timent, ne poenitentes admoniti restituere aut a tali lucro abstinere recuset.

II. Utrum Episcopus possit hortari rigidiores Confessarios, consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum Confessarium agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum ea de quaestione iudicium ferat.

Respondetur,

Ad I. — Non esse inquietandos.

Ad II. — Provisum in primo.

Datum Romae, in S. Poenitentiariae, die 14. Augusti 1831.

Postulatum autem Vivariensis Episcopi, qua parte dubium movet de Responso a Congregatione S. Officii facto Episcopi Rhedonensis quaestioni, propterea quod in ista nullum vestigium appareat tituli petiti ex Lege Principis, sic se habet:

In Exposito Episcopi Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam Theologi reperiri in Lege Principis; sed unice de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu Encyclicae Vix pervenit circa tale mutuum negotiatoribus factum.

Unde alii dicunt, iudicium SS. Pontificis Pii VIII in se solo attendendum esse et separatim a Responsis datis ab Emm. Cardinalibus, ita ut sensus istius iudicii sit, sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse

Comp. Theol. Mor. — Tom. I.

damnatum a S. Sede, ea de re non semel consulta: adeoque si poenitentes promittant, se filiali obedientia obsecuturos iudicio SS. Pontificis, si intercedat, non esse inquietandos Confessarios, qui ipsis absolutionem non denegant. Qui sic iudicium SS. Pontificis interpretantur, aures acertunt a Litteris Encyclicis Benedicti XIV, ut I et II de Synodo Dioecessana eiusdem Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab Instructione data P. Carolo Felici 17. Aprilis 1749, et a diversis responsis a S. Sede Apostolica.

Alii non concipientes, qua via praefatum iudicium (Pii VIII) conciliari possit cum dictis decisionibus Benedicti XIV, et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum, si sic seorsim attendatur, putant, dictum iudicium non sic esse intelligendum, sed coniunctim cum Responsis datis ab Emm. Cardinalibus, ad quae remittere videtur SS. Pontifex, et iudicium esse referendum ad Dubia de titulo Legis Principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede...

Itaque quaeritur,

I. An praefatum iudicium SS. Pontificis (Pii VIII) intelligendum sit ut verba ipsius sonant, et separatim a titulo Legis Principis, de quo Emm. Cardinales loquuntur in his Responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto.

II. An titulus ex Lege Principis, de quo Emm. Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat, Legem Principis declarare, licitum esse cuique conve-

tisferi possit; 3<sup>o</sup> mutuarius debet aliquid supra sortem dare ob sumptus ad mercedem ministrorum domusque administrationem necessarios; 4<sup>o</sup> debet etiam pignus rei mutuatae aequivalens tradere, quod, nisi accepta statuto tempore reddat, vendendum est. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 756. *in fine.*

II. Montes istis conditionibus instituti liciti sunt, nec ullo modo usurarii independenter a quocumque alio titulo ad lucrum (\*). Ratio est, quia etiam independenter a quocumque alio titulo nullam usurae labem sapiunt; siquidem satisfieri debet expensis Montis et ministris, quorum labor et cura est vere pretio aestimabilis. — S. Lig. *ibid.*

880 — QUAER. *An Montes Pietatis institui possint a privatis?*

*Resp. Affirm. probabilius* cum Lessio. Ratio est, quia parvi refert ad rationem usurae, utrum institutio sit publica an privata, dummodo privatus non amplius accipiat, quam quod necessarium est ad se indemnem servandum.

## SECTIO II.

### DE CONTRACTIBUS ONEROSIS

Nimirum 1<sup>o</sup> de venditione et emptione; 2<sup>o</sup> de societate et trino contractu; 3<sup>o</sup> de locatione et conductione; 4<sup>o</sup> de cambio; 5<sup>o</sup> de censu; 6<sup>o</sup> de fideiussione, pignore et hypotheca; 7<sup>o</sup> de assecuratione, sponsione, sortitione seu loteria et ludo.

*nire de lucro ex solo mutuo facto, | quin dicat se concedere ius tale lu-*  
*sicut fit in Codice Civili Francorum, | crum percipiendi.*

*Feria IV, die 31. Augusti 1831.*

*In Congregatione Generali S. Officii... propositis superioribus precibus Rev. P. D. Episcopi Vivariensis, idem Eminentissimi et Reverendissimi Domini (Cardinales), praehabitis Dominorum Consultorum suffragiis, dixerunt:*

*Provisum in Decretis feriae IV, 18. Augusti 1830., atque dentur Decreta.*

*Eadem die et feria SS. D. N. Gregorius divina provid. Papa XVI, in Audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita Resolutionem ab Eminentissimis captam approbavit.*

Porro Decreta 18. Augusti 1830. con-

tinentur Responso sup. relato, quod Rhedonensi Episcopo eadem S. Congregatio, probante Pio Papa VIII, reddiderat, quodque, cum nullam mentionem faciat tituli Legis Principis, dubitandi causam extitisse patet.

(\*) Ita Leo X. Const. *Inter multiplices* 4. Maii 1515. Porro S. C. EE. RR. 20. Decembris 1838. permisit servari consuetudinem, qua quod percipiebatur praeter necessaria expensis et conservationi montis, erogaretur in pios usus, nominatim in maintenance templi pauperrimi pagi et ad pauperes sublevandos in caritate annonae; certior autem de hac re prudenter populus fieri debet.

## CAPUT I.

### DE VENDITIONE ET EMPTIONE

Dicetur: 1<sup>o</sup> de natura venditionis et emptionis; 2<sup>o</sup> de iusto pretio; 3<sup>o</sup> de praecipuis venditionum et emptionum speciebus.

#### ARTICULUS I. — DE NATURA VENDITIONIS ET EMPTIONIS.

881. — Contractus venditionis et emptionis definitur: mutatio pretii cum merce, aut vice versa; vel: contractus onerosus dandi determinatum et iustum pretium pro merce, aut vice versa. — *Ita Ius utrumque, Romanum, et Gallicum.*

**Principia.** — I. *Ex Iure Romano.* Venditio solo partium consensu perficitur, nisi partes de conficienda scriptura conveniant. Dominium autem rei non transit ad emptorem, nisi facta traditione. Imo nec transfertur dominium rei etiam emptori traditae, donec ab emptore pretium solvatur, vel offeratur, aut saltem praestetur vel fideiussio, vel fides de illo. Hinc antea emptori ius ad rem tantum, non vero in re competit. — S. Lig. 795. et 796.

II. *Ex Iure Gallico.* 1<sup>o</sup> Quaelibet venditio solum partium consensu perficitur, absque ulla legali formalitate. Tria igitur requiruntur et sufficiunt, scilicet res, pretium, et consensus. Proinde scriptura non nisi ad probationem requiritur. Hinc dominium statim et ante rei traditionem transfertur. Excipitur tamen, quando agitur de rebus, quae iuxta mensuram venduntur, aut gustari solent; tunc enim venditio perfecta non est, nisi res mensurata aut gustata fuerit (art. 1582-1585) (\*). 2<sup>o</sup> Cum venditio summam 150 fr. excedit, ut in foro externo probari possit, scriptum authenticum vel privatum requirit (Art. 1341.) (\*\*).

882. **Quaesita.** — QUAER. 1<sup>o</sup> *An venditor teneatur rei defectus manifestare?*

*Resp. Distinguendum est;* defectus enim sunt 1<sup>o</sup> substantiales, vel accidentales tantum; 2<sup>o</sup> occulti, vel manifesti; 3<sup>o</sup> insuper vel de iis venditor interrogatur, vel non. Hinc

*Dico* 1<sup>o</sup> *Venditor in omni casu tenetur manifestare omnia vitia rei substantialia tam in se quam relative ad finem notum emptoris, seu ea omnia, quae rem aliam faciunt, vel eam noxiam, aut notabiliter inutilem reddunt; secus de pretio tenetur.* — *Ita ex omni iure,*

*Dico* 2<sup>o</sup> *Venditor interrogatus, tenetur omnia vitia occulta manifestare, etiamsi rem noxiam aut inutilem non reddant; secus enim dolum*

(\*) Ita et C. I. artt. 1447-1450.

(\*\*) Ita et C. I. art. 1341.